



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1562 usque ad annum 1563

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 9011860X

§. 13. Patris Lainesii oratio circa Sacrificium Missæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66641)

Sæc XVI.
A.C. 1562.

„pars quædam Christi cruciatuum, et
„Passionis; porro sicuti prioribus ejus
„meritis dempta non est, quin potius
„aucta efficacitas per meritum Crucis
„ita potuit Christus in ultima coena cum
„suis Apostolis facta se Patri offerre, &
„sacrificium in cruce perficere, ea ratio-
„ne, qua ipse suis reliquis operibus
„merendo vixit, & in Cruce merendo
„mortuus est. „ Ceterum Jacobus Gi-
bertus de Noguera Episcopus Alipha-
nus hanc in rem dicebat, quod ad hanc
definitionem fundandam multorum Pa-
trum auctoritas sufficiat, quandoquid-
dem Synodus Ephesina ipsorum ta-
meti ea tempestate recentium testimo-
niis duas in Christo naturas compro-
baret.

Pro eadem sententia disputabant
Petrus a Monte Episcopus Lucerensis,
Carolus Bovius Ausunensis, Marcus
Laurentius Dominicanus Campanien-
sis Episcopus, necnon Franciscus Zamora,
& Jacobus Lainesius, quorum prior
FF. Minorum observantium, alter Socie-
tatis Jesu Supremus Moderator erat.

§. XIII.

*Patris Lainesii oratio circa Sacrificium
Missæ.*

Pallav. c. 2.
n. 8.

Pater Lainesius, qui in die vigesima
prima Augusti antea quidem in Sy-
nodi

nodi conventu, dein vero die vigesima
 sexta in Congregatione comparuit, so-
 lus per tres ferme horas de Missæ Sa-
 crificio, ejus institutione, pretio, atque
 effectibus ita disseruit: „Hæc quæstio
 „versatur circa rei gestæ veritatem, ac
 „proin non ex rationibus, sed ex testi-
 „moniis duntaxat ferendum est judi-
 „cium: cum igitur plusquam quadra-
 „ginta Patres, tum Latini, tum Græci,
 „tam recentes, quam veteres, atque
 „eorum complures Christi, & Apostolo-
 „rum ætati propinqui, ac proinde hi-
 „storiam probe callentes, affirmant, quod
 „is pro nobis seipsum in Cœna sacri-
 „ficaverit, hinc ipsorum dictis habenda
 „est fides: exemplum autem Mel-
 „chisedech, & sacrificii ab eo oblatis, non
 „fuit completum reipsa a Christo in cru-
 „ce: igitur ex hisce Salvatoris ver-
 „bis, *Hoc facite*, dum ea S. Leo in ser-
 „mone septimo de Cœna Domini & alii
 „Doctores ita intelligunt, ut illud idem
 „fiat, quod fecit Christus, inde sequere-
 „tur, quod, si Christus in cœna non sa-
 „cificasset, Ecclesia, dum in Eucharistia
 „consecranda sacrificat, faceret id, quod
 „ipse non fecit. His dictis Lainesius
 „ostendit, in ejusmodi Christi Sacrificio
 „vim expiandi fuisse; quoniam inquie-
 „bat, Evangelii verba, per quæ legimus,
 „affirmari a Christo, suum sanguinem pro

Sæcul. XVI.
 A.C. 1562.

Q 5

„nobis

Sæcul. XVI. „effusum iri, in Græco Evangelio simul
 A.C. 1562. „significant tempus præsens, & sonant:
 „*pro nobis effunditur*; quod verum esse
 „non poterat, si ea Christi oblatio ad
 „expiationem peccatorum pro salute ho-
 „minum directa non fuisset: præterea
 „si reliqui Sacerdotes, ut dicit S. Pau-
 „lus ad Hebræos, offerunt pro peccatis,
 „multo magis id fecit Christus in eo
 „ipso Sacrificio, quod inferioribus Sa-
 „cerdotibus reliquit. „ Ceterum Lain-
 „nesius id ipsum confirmavit multorum
 Patrum testimonio, enumeravitque si-
 mul varia discrimina inter Cœnæ, &
 Crucis Sacrificia: denique perpendit,
 qualiter Apostolus dicat, quod Christus
 fuerit exaltatus, præmiumque ei tradi-
 tum pro obedientiæ suæ merito; ideo cum
 Christus non solum in morte, sed etiam
 in cunctis suis operibus obedierit ejus
 exaltatio, nostraque salus fuit præmium
 ipsi traditum, inde Lainnesius inferebat,
 quodcunque Christi opus nobis salutare
 fuisse, tametsi cuncta Passioni tanquam
 postremæ ejus actioni tribuantur.

Hæ fuerunt opiniones Theologo-
 rum, ac Præsulum, qui ad primam
 classem revocantur.